ROLANDI VINCHELIJ BRUGENSIS ILLUSTRISS. CARD. VERONENSIS...

Roland Vinchel


Digitized by Google

CLARISSIMO

DOMINICO MAVRO PATRITIO VENETO.



ROLANDVS VINCHELIVS S. P.

PROXIMIS diebus cùm alienissimo Reip. tempore, Ioannes Maurus decessisset, nullaque elatus pompa publici honoris funeris caruisset; factum est tua, tuorumque prudentia, quorum cogitationes personæ dignitatem, & Reip. splendorem spectare solent, vt funus ei in æde D. Marci celebri antistitum conuentu quàm amplissimum fieret. magni quippe ad commendationem magnificentiæ huius Reip. intererat, vt more institutoque communi in clarissima huius Vrbis luce, quæ omnia ad decus, & amplitudinem reuocare consueuit, Oratoris Exequiæ illustris ad posteritatis memoriam iudicio monumento honorario decorarentur. Hic enim benefactorum fructus est; hæc debita virtute merces; hoc maximis in Remp. meritis propositum præmium. Itaque ea omnia honorum insignia, quæ publicæ personæ grauissimis pro patria perfunctæ muneribus decerni poterant, hoc magnificentissimo ad speciem Iustorum apparatu exstiterunt. quæ res tibi, tuisque summæ laudi fuit ac gloriæ. vtpote quæ cum maximam expectationem concitasset, & circulis sermonem dedisset, maxima sit totius Vrbis approbatione excepta. Verum ne quid supremi diei celebritati, & honorum cumulo deesse videretur; Illustrissimus Cardinalis Veronen. pro singulari sua in eum, cum quo coniunctissimè & amantissimè vixerat, beneuolentia; Iustum præstantibus eius virtutibus præconium persoluendum esse ratus; mihi, cuius in familia, & clientela sum, onus laudes eius ex superiore loco prædicandi imposuit. Mitto igitur ad te fœtum hunc ingenij mei rudem & incboatum, Orationem scilicet funebrem festinationis plenam, quam quatridui a me expresserunt angustiæ; amoris erga te mei pignus, & obseruantiæ non vulgaris testem. In qua adumbratam Ioannis Mauri Patrui tui sine fuco, sine pigmẽtis tenui penicillo designatam effigiem intueberis, qua vti domestico exemplo ad omnem laudem excitabere. Neque enim par erat argumenti lacrymosi materiem luminibus ad oblectationem & venustatem comparatis illustrari, & colorum medicamentis exornari. Munus leuidense est, sed huius tenuitatem animi tui magnitudo subleuabit. Vale, & me mutuo amore complectere. Romæ xij. kal. Iunias.

IN FVNERE
ORATORIS VENETI
IOANNIS MAVRI EQVITIS
ORATIO
ROLANDI VINCHELII.



ODIERNI funeris pompa, & monumenti honorarij apparatus, PP. AA. lugubres Sacerdotum cantus, arratæ aræ, ſepulchrales faces, parentantium gemitus, pullæ omnium ordinum, omnium ætatum veſtes, inſolens denique totius huius coronæ ſordidatę ſqualor, cũ mæſtitiam præſeferant, & acerbiſſimi luctus ſignificationem dent; tnm me ſanè quàm debilitant maximè infirmantque, & quam ad dicendum alacritatem attuleram, prorſus eripiunt. Inuſitata enim ſacræ huius ædis facies, & conſeſſus Veſtri noua forma, vehementer animum perturbant meum, priſtinamque recordationem iacturæ ex intempeſtiuo lectiſſimi integerrimique Viri occaſu factæ, renouaut & ægreſcenti identidẽ repræſentant. Difficile equidem eſt, quod a natura hauſimus, quod vitæ communione ac ſocietate imbibimus, amicorum nimirum miſerijs indolere, diſſimulanter id ferre poſſe, & compoſito vultu incurſantem impreſſione dolorem obtegere ac ſuſtinere. qui cũ recrudeſcere in me non ſine graui acerbitatis ſenſu obiecta huius Cenotaphij ſpecie incipiat, & veteris ærumnæ vulnus refricare; aliò cogitatiònem eodem recurrentem detorquendam, alioque orationem conuertendam eſſe intelligo. ne reflante ventò vela faciens oratio in alto iactata ad eundem reiectą ſcopulum adhæreſcat. Eccui enim vel ferreo, niſi efferàta quadam & immani indolentia inſtar ſaxi obduruerit, immatura Ioannis Mauri maximis pro Reip. perfuncti muneribus, & e medio gloriæ curriculo, quod magnum natura præſeferebat, ſublati mors, lacrymas nõ exprimat, totiſque viſceribus commoueat? O atrocem, & funeſtum caſum? tot, tam lætos, tamq. vberes fructus repentini vnius turbinis vis, & oborta tempeſtas abſtulerit? Ardeo profectò dolore vix conſolabili, dum acceptæ calamitatis memoriam retracto, & ad publicum detrimentum cogitationem excito. Verum cum magnum in commotionum animi ſedatione ad dicendum momentum ſit, dolorque in prim s aciem mentis hebetet, atque obtundat; afferam, quam potero vim luctuoſæ huic

 cogi-

cogitationi,ne pondere suo ad mærorem etiam obnitentem inflectat,& institutæ orationis cursum remoretur. quod quàm operosum sit, facile quis intelligens rerum æstimator diiudicet. Vt enim scapham aduerso flumine summa contentione,& remorum pulsu actam,rectam tenere,& quominus retrò labatur interdum,ne quidem scientissimus nauicularius impedire queat: ita doloris præsentis magnitudini,quod altius in medullis insederit,moderari, non mediocris mei ingenij est; at certè non huius loci. Quare sicubi incurrerit,offenderit, hæserit tanquam in salebra oratio, vos æqui arbitri causam momento suo ponderantes,doloris obrepentis importunitati condonabitis. Venio igitur ad id, quod sanare ægritudinem,& luctus molestiam abstergere solet, rerum scilicet gestarum,maximarumque in omni genere virtutum, quarum expressa non ad breuis durationem temporis, sed ad omnem æternitatem exstant apud nos vestigia, prædicationem. quas publicis consignatas monumentis, nulla vetustas obruet nulla, inobscurabit obliuio. Harum capita dum cursim attingo,& intento,vt aiunt,ad fontem digito,ostendo,rogo vos silentio me,& attento animo audiatis.

Primum vt à patria,& generis claritate exordiar,licet hæc parum, aut nihil,si Christiano more ratiocinandum est,quod externa sint, ad cōmendationem faciant; nescio tamen quo pacto, stirpis humilitas generosos aliquando infringit animos,& erectos ad præclara spiritus proterit. Natus est Venetijs Vrbe copiosissima (hæc sui Imperij caput est, libertatis & maiestatis Romanæ æmula,Italiæ ornamentum, Christianæ Reip. propugnaculum, liberarum ciuitatum princeps, gloriæ domicilium, iudicij sedes, & prudentiæ officina) in familia peruetere eaque patricia cognomento Maura, in qua hæreditaria nobilitatis possessio, & rerum domi, forisque gestarum amplitudo, cum perpetua honorum serie perstitit,floruit, enituit. quæ numerosam amplissimorum virorum sobolem fæcunda protulit. In hac primum posteris suis sua virtute præluxit Christophorus Maurus, qui ad Reip. clauum admotus, gubernacula in vtraque fortuna constantissime tractauit, & omnes boni Principis numeros impleuit. Claruit in eadē, omni laudum genere cumulatissimus Ioannes Maurus,cuius, si spatium præteriti temporis repetitis, & domesticorum animalium memoriam recordamini,prædicabitur semper ad Regem Aragoniæ nomine Reip. suscepta legatio,adeo honorifica, & toti terrarū orbi fructuosa. qui authoritate sua,& eloquentiæ vi propè diuina Regem nouis rebus studentem mitigauit, & ad pacis, otijque consilia traduxit. plurimis ab eodem affectus beneficijs reuocatus in patriam redijt. inter quæ illud eminuit, quod gentilitijs Regis insignibus donatus sit. Cætera eiusdem familiæ lumina silentio inuoluo, quod hisce adminiculis virtus non magnopere egeat,sed seipsa contenta sit, suoque nitore splendescens maioribus etiam obscurissimis lucem afferat. Venio ad propiora. Clarissimo religiosissimoq. patre Dominico Mauro procreatus,in quem Resp.

omnia

omnia fere honorum ornamenta cōgesserat, sensim ętate procedens puer indicia eximiæ cuiusdam indolis non obscura dabat. Elucebat in eo mira docilitas, morum grauitas comitatis temperamento condita, & ad honestatem propensio, ita vt quibuscum vnà erat, oculos ad se conuerteret, sibique amore deuinciret. hinc augurari multi vberem reliquæ vitæ prouentum. Vt enim herbescente segete futuræ fruges apparent; ita ex tenellæ ætatis initijs, non dubia insequentis vitæ coniectura ducitur. Traditur non multò pòst optimis morum, studiorumque moderatoribus in disciplinam, ijsque literis imbuendus, quibus ea ætas ad humanitatem informari solet. quarū voluptate captus, suapte sponte totis viribus ad earum cognitionem incumbebat. Poeticæ præsertim facultatis lenocinijs, tanquam Sirenum cantibus delinitus singularem in ea excolenda operā industriamque collocabat. ita vt industria voluptatem, voluptas industriā superaret. hinc sensa animi oratione numeris modisque adstricta exprimere, carmen pangere, versum grauem plenumque fundere. Hisce igniculis in dies maioris doctrinæ materies subijciebatur, qua ceu pabulo quodam mens inflammata alebatur. Pater vero incensæ filij voluntati obsequens, Patauium vetustissimum omnium disciplinarum gymnasium, ad capessendum maiorem ingenij cultum, mittendum curat, vt quanta ad discendi sitim, tanta ad famam fortunamque eius fieret accessio. Vbi directum ad verū decus iter ingressus, & incredibili progressione vsus, pectus laudandarum artium, & præcipuè Philosophię cognitione compleuit, Luculentos quosque authores, quorum scriptio erat ad formandam vitam, & Remp. gerendam accommodata, inexplebili cupiditate peruolutabat, eorum documenta in succum sanguinemque conuertebat, quibus in consultationibus de re nata, tempestiuè vteretur. Ingurgitabat se in veterum historias, res superioris æui gestas perlustrabat, ex omni antiquitate exempla, quæ sibi ex vsu forent, conquirebat, vt cautior instructiorque ad magistratus accederet. His subsidijs munitus, vt quæ lectione hauserat, vsu experientiaque cognosceret, non diutius se angustijs patriæ finibus continuit, sed remotas exterarum nationum oras obijt, perlustrauit, explorauit. non ignarus, quantum varietas & dissimilitudo gentium, multiplexq. earum consuetudo præcepta ad ciuilem prudentiam augendam conducerat. O præclaras adolescentis cogitationes, quas in illo ætatis æstu, non molestæ libidinum titillationes, non voluptatis illecebræ, non blandi sensuum motus, principio quidem lenes, at exitu turbulenti & perniciosi, labefactarint. Itaque in patriam reuersus, cum diutius tanta nominis celebritas, quantam ei eximia probitas pepererat, delitescere non posset, priuatis publicisque conuentibus adhibitus est, in quibus ita prudenter, disertè, & grauiter de Reip. negotijs disserebat; vt cum plerumque felici exitu responsa eius probarentur, omnium ad se voluntates, studiaque allicerет. admirabantur vniuersi acumen ingenij, iudicij propè senilis maturitatem, copiosam variæ eruditionis supellectilem, morum suauitatem, &

con-

congruentem cum cuiusque natura habitum. Ex admiratione obseruantia, ex obseruantia amor emergebat. His iactis fundamentis, facilem sibi ad honores adipiscendos viam aperuit. Vix annum vigesimum quintum agens, nullo ambitu, nulla amicorum prensatione, frequentium Comitiorum suffragijs in ordinem minorum Consultorum cooptatur. quo in gradu, vbi primum pedem posuit, egregiũ suæ doctrinæ in disceptandis Reip. negotiorum causis, specimen edidit. Inde paucis post annis Præfectura Vicentina extra ordinem nominatim ei in dictis Comitijs summa totius Rei. gratulatione, & applausu decernitur. vt fusa per omnes Reip. partes tam insignis bonitas, neglectam facinorosorum hominum insolentia disciplinã. in veterem integritatem restitueret, ægrisque membris sanitatem redderet. Mittitur cò Ioannes Maurus, qui tot incommodis salutarem medicinam adhibeat. Laborabat enim ciuitas popularium discordijs intestinis, partiumque factionibus deformata exquisitam aliquam Curationem postulabat. Nec vero ita nebulas cælo circumfusas sol velociter discutit; vt excitati apud illos motus Præfecti eloquentia sunt, & authoritare repressi, tranquillitatis luæ ciuitati reddita. quo in magistratu in animaduertendo moderatio, in benignè tractandis animis populi lenitas, in admittendo ad se facilitas, in victu, vitæque cultu magnificentia, in imperio denique continentia eius commendata est. quem a se discedentem, vt annuæ administrationis rationem redderet, quasi parentem patriæ, pacis authorẽ, sceleratorum vindicem ciuitas amitteret, ita lacrymis, & fausta acclamatione prosecuta est. Vt Venetias redijt, in interius Consilium, quod Collegium appellatur, adscitus est. Huic de Vrbanis, castrensibus negotijs, de militum delectu, & bellicæ artis exercitatione onus ad Senatum referendi impositum est. Insignem hic eius taceo militaris scientiæ peritiam, si qua de arcium munitione, de propugnaculorum substructione, de vallorum dispositione controuersia incidisset. quæ vsque adeo Reip. probata est (ne quis me in laudando auribus inseruire, & turpi assentationis artificio gratiam cuiuspiam aucupari existimet) vt decimo amplius easdem partes, maiore cum existimationis suæ fructu, quod haud scio an nostra patrumque memoria, nisi perpaucis vsu venerit, obtinuisse feratur. Vnde non immeritò ambigat quis, togatusne, an armatus diuturniore lucis vsura præstantior euasisset. Expletum huius muneris tempus Legatio ad Henricum III. potentissimum Galliarum Regem, secuta est, cum Regnum iam miserabili suorum clade, & perduellium populationibus vastatum, penè ad perniciem procliue laberetur. in qua, vt quomodo communi incendio opẽ ferret, collectas tot vigilijs, & laboribus scientiæ suæ diuitias largiter effudit, eaque documenta tradidit, quibus auerti pestis, & profligatis rationibus consuli potuisset, nisi exacerbata, tot offensis diuina, Maiestate morbus humanam medicinã vincere cæpisset. Exacto Legationis spatio Ioanni Mauro reuersionem maturanti, qua erat humanitate benignissimus Princeps, parem gratiam referre volens, ad se accersitum, cum singularibus

bus

bus verbis eius in se merita exaggeraffet, sacramento adactum solenni ritu Equitum suorum numero adscripsit, suisque Lilij insignibus cohonestauit. Itaque restitutus patriæ, cum a publicis functionibus respirandi pusillum temporis nactus, abdere se in quietis aliquem portum constituisset; noua ei, eaque ardua prouincia committitur, quam tanta cum nominis sui amplificatione sustinuit, nihil vt ei ad cumulum gloriæ reliquum esse videretur. Acceptis igitur a Senatu literis Constantinopolim ad Amurathum proficiscitur. Vbi quàm multæ res sunt, quàm amplæ, quàm salutares, & cū publica quiete coniunctæ, quas ille ex animi sententia suscepit, tractauit, confecit? Laboriosum profecto onus, & periculi plenum. quis enim cum immani Orientis Tyrãno insatiabili rabie ceruicibus nostris, accisisq. fortunis imminenti, congredi posse se tutò, & fructuosè confideret, apud quem libidine, non ratione & legum æquitate res geri soleant? qua sit prudentia septus necesse est, quaque in agendo dexteritate, & solertia, qui capitalem Christiani nominis hostem non lenierit modò, sed ad stabiliendas cum Rep. inducias pertraxerit, suique apud eum desiderium reliquerit. Hunc certatim omnes Othomannici Principes & antesignani, ob prudentiam, fidem, morum suauitatem, & liberalitatis splendorem amabant, omnibusque horis in oculis, in ore ferebant. Vnam in primis in eo admirabantur sagacitatem, & in inquirendo diligentiam. Nihil enim struere, nihil moliri, nihil machinari quam occultissimè poterant, quod non ille odoraretur, patefaceret, suisque maturissimè indicaret. Mihi vero longè admirabilior eius videtur, quãdiu ibi apud eos commoratus est, beneficentia. Christianorum inopiã, subleuabat, captiuorum, aduenarum, pupillorū patrocinium suscipiebat, opibus recreabat, & authoritatis suæ præsidio defendebat. patebat domus eius omnibus, nulli gratiam, nulli subsidium intercludebat. Nullus erat denique in Vrbe pietatis angulus, quò benignitas eius non penetraret, expressumque esset largitatis suæ monumentū. Magnus hic se offert ad dicendum campus, in quo excurrere & exultare posset oratio, sed habenas reprimam, & parebo tempori. Missum facio eius Decemuiratum, in quem post reditum adlectus est, vt citius ad metam festinet oratio. in qua quàm multa sunt, quàm excellentia, quæ non dico exæquare narrando, sed ne cogitando quidem assequi possim. Postrema namque Legationis (quæ vitæ clausula fuit) functio, in celeberrimo orbis theatro, & clarissima huius Vrbis luce versata, quàm gloriosa fuit, & omni dignitate circumfluens? Neminē vestrum esse reor, qui tam illustri loco positas, tam peruagato hominum sermone celebratas iamdudum perceptas eius laudes non habeat. ob oculos sunt singularis sapientiæ, religionis, prudentiæ, & liberalitatis argumenta. Vos PP. AA. locupletissimi testes eius ad solidam gloriam impetus quotidiana pænè congressione perspexistis. nihil ille humile, nihil angustum, nihil sordidum, sed excelsa, ampla, splendida, mente designabat. omnes in ea, quam gerebat, persona cogitationes defigebat, ne quid indignum sua existimatione admitteret; omnes

nes

nes ad honestatis normam, maiorumque disciplinam actiones dirigebat. Hinc illa numquam satis laudata in colloquijs sine fuco comitas, in consilijs grauitas, in negotijs arduis prudentia, in dubijs recti verique perspicacitas, in seruanda denique Reip. authoritate sarta tecta ardens studium, atque constantia. Iam vehebatur per medias laudes quasi quadrigis ad supremos honores, & celsioris dignitatis fastigium: cũ Deus in limine senectutis amara morte nobis erepto immortalis gloriæ pręmium cumulatissimè persoluit. O fallaces hominũ spes? o incertos rerum euentus? o insigne vmbratilis huius vitæ imbecillitatis documentum? o tenebras animorum? o caliginem? Respicite aliquando Mortales vobis hoc loco veritate lumen præferente; obtusam mentis aciem exacuite; & quantum in rebus inanitatis sit sedulò aduertite. fucatus est hic honorum splendor, falsa gloriolæ species, vana dignitatis amplitudo, adulterinæ diuitiæ, quas nobis tamquam æternę felicitatis obsides dari efflagitamus. Cum hæc omnia ad nihilum recidant, & ad mortis scopulum allisa euanescant? Felicissimum verò te Ioannes Maure, qui tempestiuè turbulentos mundanarum cupiditatum fluctus velut procellosi maris gurgites, ita prosperè enauigasti, vt Syries illas periculosas, & formidandos scopulos præteruectus, & ex impendentibus ætatis incommodis ereptus, in patrium portum vt credo appuleris, ærumnarũ finem, & tenebricosi huius carceris terminũ. vbi optimi parentis Dei sinu, amplexuque receptus liquida synceraque aspectus eius voluptate perfunderis. frueris nunc purissima cæli luce, bonisque omnibus affluis. tibi pacis, tibi quietis æternæ fructus partus est. Gratulamur tibi toto animo. Tu interea amantibus tui, iusta corpusculo quiescenti persoluentibus, propitium Deũ redde, tuumque commercium restituendum procura.